

3. Schreiben des Patrocliftifts zu Soest an den
Papst Clemens XIII. um Unterstützung zur
Wiederherstellung der Kirche. 1765. Juni 5.

Mitgeteilt aus dem Propaganda-Archiv zu Rom (Germania Bd. 11)
von F. X. Schrader, Pfarrer in Rätzungen.

Beatissime Pater! Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum illius oratorum praepositi, decani, senioris et totius capituli collegiatae archidiaconalis ecclesiae ad S. Patroclum, sicut et parochi et totius communitatis Romano-catholicae civitatis loci Susatensis, quoad spiritualem iurisdictionem archidioecesis Coloniensis, territorii tamen et dominii temporalis Borussici, in Germania Westphalica olim metropolis, qualiter ipsa ecclesia inter collegiatas dioecesis dictae prima et inter quatuor archidiaconales immediate post Coloniensem primaria, mater ac corona ecclesiarum omnium in et extra Susatum circumquaque adiacentium anno domini nostri Jesu Christi 954 a S. Brunone, archiepiscopo Coloniensi, seu insignis et ampla basilica cum magnifica turri e fundamentis erecta et aedificata statim ab initio sacerdotibus piis et zelosis ornata ita quidem, ut eliminato prorsus ab hac civitate Susatensi gentilismo anno domini 1184 autoritate quidem ordinaria piae memoriae Philippi ab Heinsberg, archiepiscopi Coloniensis, urbs isthaec distributa fuerit in sex parochias,¹⁾ quam distributionem tamen etiam S. Sedes apostolica nedum ratam habuit, sed insuper Beatissimus papa Gregorius nonus constitutione sua „Ea quae pro ecclesiarum utilitatibus“ de dato Anagniae idibus Augusti pontificatus sui anno primo²⁾ (1227 August 13) executioni dandam demandarit denominatis commissariis capituli Paderbornensis decano et thesaurario, prout et hi literas istas apostolicas executioni

¹⁾ Vergl. Seiberß, Urkundenb. I. Nr. 97, wo Urkunde nach einem Kopialb. undatiert vorkommt, möglicher Weise hatte Original das J. 1184.

²⁾ Vergl. Finke, Westfäl. Urkundenb. V. Nr. 342 mit Angabe sonstiger Drucke.

dederunt anno domini 1229 pridie idus Martii (6. März);¹⁾ praeterea Conradus ab Hochstaden, archiepiscopus Coloniensis, anno domini 1256 per literas suas in vigilia Ss. Petri et Pauli apostolorum expeditas ordinavit, ut istae parochiales ecclesiae conferendae fuerint canonicas, maiores praebendas ad oppidum Susatense habentibus;²⁾ quod et presumptive in suo vigore, observantia et tolerata saltem ad initium praevalentis in hisce partibus Lutheranismi permansit ad annum domini 1606, quo ultimus ex praedicto capitulo desumptus parochus ad S. Thomam hic defunctus est, prout majorum testimonia et alia authentica ac documenta nobis demonstrant.

Interea tamen anno domini 1531 in ipso S. Thomae apostoli die festo per excitatos tumultus et rebellionem populi contra legitimum magistratum praevalente Lutheranismo extores suis sedibus factae personae omnes ecclesiasticae, octodecim annorum exilium direptis bonis omnibus subierunt, quoad usque opera et immensis laboribus tum ad S. Sedem apostolicam, tum apud Sacram Caesaream Majestatem et proceres imperii, aeterna memoria digni hic tunc pro tempore decani, ex post S. Romanae ecclesiae Cardinalis eminentissimi domini Joannis Gropperi, nati nobilis Sasatensis huiusc civitatis, ad ecclesiam suam redire iisdem permissum fuit, acceptis tunc circa annum domini 1549 a summo pontifice Paulo huius nominis tertio facultate et licentia pro suppressione officii Cantariae, ut canonici et praebendati ex redditibus illius praesentias seu distributiones quotidianas, minutas licet, percipere valerent;³⁾

Ast vix ulla aut aliqua quies fuerat in illis inquietis temporibus, denuo enim ex post pluries emigrare coactis praedecessoribus nostris duo presbyteri quantum potuerunt sacras functiones clanculo ianuis chori, supra 40 columnis in ipsa ecclesia opere gothico, ut hic dicitur,

¹⁾ Bergl. Seiberß, Urkundenb. I. Nr. 184.

²⁾ Desgl. I. Nr. 305, wo die Originalurkunde am 28. Juni 1257 ausgestellt ist.

³⁾ Bergl. Kampfchulte, Geschichte der Einführung des Protestantismus in Westfalen S. 57 ff. u. S. 210 ff.

in magna amplitudine extracti et eminentis, sera clausis pane tribulationis in armario adiacentem chorū et sacristiam intermediae (in quo et S. Engelbertus archiepiscopus hic loci residens pridie martyrii sui sacramentalem confessionem peregit) sese sustentantes modo dicto possessionem continuerunt usque in diem primam Januarii 1624 (quem hic regulativum et normalem nominant), quo die duo dicti sacerdotes sacrum Missae sacrificium in summo seu majori ipsoque chori altari celebrarunt, unde et factum, ut vera fides apud quamplures saeculares integra permanerint, exercitiumque religionis ita continuatum causa fuit, ut in congressu principum pro pace Monasterii convento ad sollicitas preces et factas a capitulo praedecessoribus nostris continuatas instantias apud illustrissimum S. Sedis apostolicae legatum Fabium Chisium, postea summum pontificem Alexandrum huius nominis septimum, hoc altefato urgente et evicente (Deo sint laudes, istique sanctae memoriae summo pontifici grates perpetuae) anno domini 1648 chorus praedictus cum similiter dictis armario et sacristia, prout in possessione sterili tamen et infructuosa in praedicto anno regulativo fuerat collegio et capitulo Susatensi ex sententia principum paciscentium relictus sit et adiudicatus cum onere conservandi.

Econtra vero ex eadem sententia ecclesia ipsa dominio tenus attributa fuit magistratui, evangeliae, ut nominatur hic, religionis seu augustanam fidem profidentibus cum onere similiter conservandi aedificium et sarta tecta, erga quod et magistratus ille civicus iam tum occupatos sibi redditus omnes ecclesiasticos, et fundos reddituum fabricae alias attributorum reservavit ac usurpavit, impensas autem, quantae pro singulis ad reparationem et censurem aedificii et tectorum ipsius ecclesiae, non chori, suo arbitratu necessariae erant, tam sub ducibus Cliviae qua dominis territoriis quam sub succendentibus haereditariis principibus S. R. J. electoribus Brandenburgicis ac potentissimis Borussorum regibus usque ad novissimi belli 1756 inchoati tempora, ne fabrica seu structura ecclesiae rueret, conductis a se operariis dedit et exhibuit;

Interea tamen ab immemoriali tempore ex illius vel quasi dominio permissione a populo accepta ianuae omnes per singulos dies cuicunque patent, ut per ecclesiam sit aequae liber transitus ac per caeteras vias publicas, nullas interius raparatio, sed nec dealbatio, tametsi saepe saepius petitae et repetitae fuerint, subsecuta est, patent cuicunque vento et pluviae fenestrae, ut plurimum omnes in aliquibus vitris pendulis solido antiquo plumbo aut ferro detentis, ne ceciderint, influunt in ecclesiam, aqua et faeces ex plateis publicis, defluentesque ex tectis pluviae muros superius et inferius penetrant et pervadunt, parietes omnes interiores delapsa calce passim rudes muros praesentant, et exhibent, qui nisi ex lapidibus quadratis et sectis e fundamentis evecti fuissent primitus, verosimilius ecclesia ruinam a multis annis minitata iam passa fuissent; verbo sunt in illa si non delecta, desolata tamen pleraque.

Propter quae praedecessores nostri et nos, dum praeterlapsis melioribus temporibus, quando adhuc spes affulgebat accipiendi in hisce partibus necessaria pro reparatione et renovatione huius almae domus Dei (in qua asservantur in hunc usque diem reliquiae S. Patrocli et insignis particula S. Crucis ob frequentia et magna miracula olim celebris, unde et in ore hominum versatur antiquum proverbium: „Magnus Deus Susatensium“) frequenter institimus pro recuperando a magistratu ecclesiae et turris seu totius aedificii dominio, ast incassum laborantes nihil cepimus tota praedicta nocte ab anno 1648 usque huc remigantes, donec post turbida novissimi belli tempora, quae postquam temporalia bona, sicut nostra, sic et magistratus mobilia absorbuerunt et immobila ut plurimum vi profecto magnetica belligerantium acuminatis et per linitis ensibus virtute sua attractiva aeri alieno in tantum affixerunt et obligarunt, ut nobis nulla spes supersit ab iisdem divellendi, cum vix ultra aut ne vix sustentationem habeamus et magistratus ille pro aliis necessariis in singula singulis diebus exponendo necessaria nequeat acquirere in exhausta pecuniis patria et viciniis, nunc tandem speremus de consensu iam tum

oblato potentissimi regis seu principis nostri et domini temporalis quoad dominium istud totius aedificii saepe memorati recipiendum et quidem omnimodo gratis, dummodo petamus, et onus reparandi ac conservandi imposterum assumamus, quod tamen etiam praesumere non audebimus nec poterimus, imo nec affectum circa hoc in aliquo amplius publice designare, priusquam nacti fuerimus habuerimusque certam dotem aliquam seu fundum, unde sumptus ac expensas necessarias ac media congrua, quae post primam reparationem principalem in singulos subsequentes annos ad 200 ducatos in auro et ultra forsitan excurrent, quale in depauperata patria nostra simpliciter est inacquiribile, desumamus.

Hinc, Beatissime Pater, ad S. Sedem apostolicam pie in domino nos convertimus humiliter et devote proponentes supra dictum statum ecclesiae nostrae, in qua ultra praepositum et infrascriptum decanum devotissimum oratorem actu existunt sexdecim canonici fere omnes presbyteri, vi fundationis et statutorum ad solum subdiaconatum licet obligati, ultra quos sunt 25 vicarii omnes, queis per aetatem licet etiam actu sacerdotes, chorum quotidie nobiscum ab hora 4^{ta} matutina et per diem statutis horis horas canonicas cantu Ambrosiano persolventes, ac ex illis unus parochus, alter sacellanus curatus curam animarum exercentes intra civitatem hanc amplissimam et districtum ad quatuor horas germanicas et ultra circumiacentem catechizando praedicando et Ss. sacramenta baptismi, poenitentiae et eucharistiae in ecclesia administrando tam numerosis parochianis inter acatholicos dispersis, ut in hoc anno 1765 ad septem millia adulorum communionem paschalem susceperint poenitentiae sacramento expiati in ecclesia propria et monasteriis duobus regularium huius civitatis Praedicatorum et Minorum-Conventionarium et aliis parochiis et monasteriis adiacentibus vicinis. Ex quibus omnibus non obscure Sanctitati Vestrae patebit, quem fructum animarum hucusque capitulum nostrum praestiterit, quem praestet adhuc, et quem ulterius praestandum sperare verosimilius valeat, si et decor domus nostrae divinae augeatur ita, ut quae nunc

quasi privatum in choro nostro et ex parte in ecclesia, extra quam nobis nullum publicum et solenne licet religionis exercitium, quanta possumus, in ecclesia publica exhibeamus.

Supplicamus proin humillime Sanctitati Vestrae, ut ex bonis ecclesiasticis, piisque fundationibus et elemosynis, quas sancta Romana ecclesia pro bono publico, augmento et incremento religionis et Christi fidelium seu membrorum suorum etiam in ipsis terris plene fidelium dispensare assolet, id quod etiam in relationibus publicis hic nuperrime adhuc laudatum legimus a Sanctitate Sua per S. Congregationem de Propaganda fide factum esse, si quo modo valeatis, indigenti, desolatae ac ruinosae ecclesiae nostrae, sicut desuper ex oculari inspectione facta et certa scientia, quoad praemissa et caetera, in quantum constant, testimonium authenticum hisce adiungendum expediri demandabit Reverendissimus et Celsissimus S. R. J. Princeps episcopus Paderbornensis,¹⁾ quoad primitus auspicandam reparationem, recipiendumque hunc in finem, sed sub praedicto onere futurae conservationis oblatum nobis eiusdem dominium suscipere audeamus, succurrere misericorditer in domino non dignemini, ut in verbo Sanctitatis Vestrae rete nostrum laxare valeamus ad capiendum ultra animos patronorum et benefactorum

¹⁾ Nos Wilhelmus Antonius dei gratia episcopus Paderbornensis, S. R. J. Princeps, comes Pyrmontanus. . . . Hisce attestamur et fidem facimus: allegata capituli Susatensis super statu ecclesiae suae archidiaconalis ad S. Patroclum in omnibus veritati esse congrua. Et cum iam praedictam ecclesiam per tot annos ab acatholicis compossessam, quoad totum aedificium ex eorum manibus recuperandi tam favorabilis sese occasio praesentet, Nos nulli deesse voluimus, nec et potuimus, praetactum capitulum pro gratia in precibus suis obtinenda Sanctae Sedi eo impensius recommendare, quo maior spes eluet, ex recuperatione praefatae ecclesiae maximum bonum nec non augmentum religioni Romano-catholicae esse nasciturum. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas et sigillo nostro communitas dedimus in arce residentiali nostra episcopali Neuhusii 13. Julii 1765.

(L. S.)

Wilhelmus Antonius.

ad causas pias inclinatorum pro ulteriori futuris temporibus necessaria in hoc pientissimo opere continuatione; precaturi constanter apud deum ter optimum maximum pro felici diurturno regimine et incolumitate Sanctitatis Vestrae et in dies singuli in sacris omnibus specialiorem memoriam facturi.

Desuper Sanctitatis Vestrae devoti oratores

Guntherus Egon de Hanxleden, decanus.

Josephus Casparus de Dücker, senior.

Theobaldus Johannes Baptista de Staell,
scholasticus.

Susati vulgo Soest in Marcha Westphalica die 5ta Junii,
pridie festum Ssmi Corporis Domini nostri Jesu
Christi, anno 1765.